





H. iux. s. num. 16.

1765, 32.

11

# VINDICIAE POMPONII DE MATERIA XII. TABVLARVM

IN

*Cap. II. §. IV. π. de Orig. Jur.*

Q V A S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORATATE

P R A E S I D E

AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

PHILOS. ET IVR. VTR. DOCTORE

DIE XI. DECEMBERIS A. O. R. CICDICCLXV.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

IOANNES TRAVGOTT KEMTERVS

DREBACENSIS - MISNICVS.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.





VIRO ILLVSTRI,  
EXCELLENTISSIMO, CONSVLTISSIMO,  
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,  
**HENRICO CHRISTOPHORO**  
**SCHVSSLERO,**

DOMINO HEREDITARIO IN REHNSDORFF,  
GERSDORFF, ET HECKENDORFF,  
IVRISCONSVLTO EXIMIO,  
**SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI**  
**SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE AC**  
**IVSTITIAE, NEC NON FISCI**  
**PATRONO,**

PATRONO AETERNVM DEVENERANDO,

HOC MONVMENTVM PERPETVAE PIETATIS

C O N S E C R A T

**IOANNES TRAVGOTT KEMTERVS.**





V I R  
ILLVSTRIS ATQVE CONSVLTISSIME,  
PATRONE SVMMO PIETATIS CVLTV  
PROSEQVENDE!

**T**antum abest, ut tot tantorumque, quae  
abs TE, PATRONE OPTIME, in  
me profecta sunt, beneficiorum immemor,  
nunc in primis, cum rudimenta ponenda sunt meae  
qualiscunque scientiae et ratio meorum studiorum  
patronis atque parentibus reddenda, datam mihi  
per opportunam animum meum TIBI innumeris sin-  
gularis TVAE munificentiae documentis deuinctis-  
simum et a sensu gratitudinis non plane alienum  
declarandi occasionem omittam, ut potius neminem  
esse iudicem, ad quem hic libellus maiori iure perti-  
neat, quam ad TE: adeo totus sum TVVS. Quod  
ipsum consilium meum et si non ab omni audacia libe-

A 3 rum



*rum videtur, malo tamen audax quibusdam videri,  
quam violatae erga TE pietatis suspicionem incur-  
rere. Nam qui id, quod debent, ob beneficiorum ma-  
gnitudinem suamque imbecillitatem referre baud  
valent, hoc saltim debent studere, vt eorum com-  
memoratione suam voluntatem significant. Seruet piae-  
potens numen TE una cum splendidissima gente  
TVA semper saluum atque incolumem, et efficiat, vt  
seros in annos viuas patriae decus, pro cuius salute  
adeo laboras, TVORVM solatum, et omnium,  
qui TE venerantur, clientum praefidum certissi-  
mum, quo etiam in posterum numquam non dignus  
esse cupio vehementer*

VIR ILLVSTRIS AC CONSVLTISSIME,  
PATR ONE OPTIME,

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

CVLTOR DEVOTVS  
IOANNES TRAVGOTT KEMTERVS.





## CAP. I.

### *Instituti ratio.*

**N**ihil est, vbi magis falluntur iuris interpretes, quam cum loca, quae sibi videntur repugnare, debent conciliari, aut fides veterum ICtorum in rebus, quae ad historiam pertinent, est stabilienda. Aut enim tum vrunt et secant, ut solent imperiti medici, aut, si diis placet! in ipsis venerandae antiquitatis monumentis quamplurimos detegunt errores, coque nomine sibi placent mirifice. Talem fortunam praeter TRIBONIANVM ET THEOPHILVM inprimis expertus est POMPONIVS, excellens *Enchiridii* scriptor, ex quo decerptum est cap. II. π. de Orig. *Iur.* quod pulcherrimam de fatis iuris Romani narrationem continet, qualem laudauit interioris iuris ciuilis Scientiae peritissimus CONRADIVS, nuper noster, iam vero Marburgensium doctor celeberrimus, et valde commendauit. <sup>a)</sup>) Is enim multum profecto vapulat viris doctis, qui eum modo antiquitatis

<sup>a)</sup> *Io. Lud. CONRADI Proclus de ratione enarrandas historiae iuris Rom. Lipsiae, CCCCCCLXIII.*



quitatis ignarum contendunt, modo in historia lapsum volunt, modo neglectae chronologiae reum faciunt, et haud raro criticum cultrum eius vulneribus, quae sibi singunt ipsi, admovent, a qua culpa ne R V P E R T V S<sup>b)</sup> quidem ac BYNKERSHOECKIUS<sup>c)</sup>, eruditissimi alioquin P O M P O N I I vindices, se liberabunt. Quas criminationes cum summa iniuria spargi in P O M P O N I V M animaduerterem, a quo, si non omnia, certe pleraque recte dicta, et non nisi leuissimos forsan errores quosdam commissoſ esse, quo quis pignore contenderem, coepi paullo vehementius cupere, vt existeret ICtus, qui P O M P O N I O idem praestaret officium, quo antea in T H E O P H I L I causa rarae doctrinae ac diuini ingenii vir, M Y L I V S<sup>d)</sup>, bonis literis atque humaniori iurisscientiae iuuenis adhuc ereptus, summa cum laude nec sine Belgarum admiratione functus fuerat. Haec vero de defendendo P O M P O N I O cogitatio adeo haesit in animo meo, vt tandem ipſe de hoc labore fūſcipiendo consilium caperem, ea quidem lege, vt totum hoc argumentum non vno volumine comprehendenderetur, sed, quotiescumque scribendi mihi daretur occasio, editis breuibus libellis, per partes exponeretur, nec ordo quidam seruaretur, sed res, prout in eas incidisse, tractarentur. Cum igitur nunc mihi aliquid scribendum esset, quo nobilissimus atque doctissimus Kemterus occasionem nancisceretur, suam iuris doctrinam et differendi artem publice commonistrandi, obtulit ſe mihi locus P O M P O N I, vbi materiae, ex qua XII. tabulae fuerunt confeſſae, mentionem iniecit, quem, quoniam ab interpretibus valde distortum et tantum non ad omnem auctoris fidem deſtruendam tractum esse deprehendi, data opera iam vindicabo.

## CAP. II.

b) Chyb. Ad. R V P E R T V S in Animaduert. in Enchiridion Pomponii.

d) b. Henr. M Y L I I Theophilus, f. de graecorum iuris Institutionum earundemque auctoris historia, fatis, dotibus, naenis, aetate, auctoritate, Lipsiae C I C I O C C X X X . 8.

c) Corn. van BYNKERSHOECK in Praetervm. ad L. II. n. de Or. Iur.

## C A P . I I .

*Caput controversiae explicatur. Criticorum insania notatur.*

**A**it POMPONIUS<sup>a)</sup>: *Placuit publica auctoritate decem constituti viros, per quos peterentur leges a Graecis ciuitatibus, et ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulas EBOREAS prescriptas pro rostris composuerunt, ut possint leges apertius percipi.* Indicat hic noster, materiam, ex qua legum decemvirialium tabulae conjectae sint, eburi fuisse. *Huic vero opinioni reliquorum veterum scriptorum, vt, DIODORI SICULI<sup>b)</sup>, DIONYSII HALICARNASSIENSIS<sup>c)</sup>, LIVII<sup>d)</sup>, et CYPRIANI<sup>e)</sup> auctoritas obstat videtur, qui omnes, aeneis tabulis has leges inscriptas fuisse, testantur. *Quid? nonnulli ex alio DIONYSII loco<sup>f)</sup> male intellecto, has tabulas initio roboreas fuisse, student comprobare.* Vnde factum est, *vt ad criticam artem quidam configurerent, et vel cum TVRNEBO<sup>g)</sup> atque RUPERTO<sup>h)</sup> pro eboreas apud POMPONIUM legerent aereas, vel cum GOTHOFREDIS, Dionysio<sup>i)</sup> et Iacobo<sup>k)</sup>, ac SCALIGERO<sup>l)</sup> roboreas representerent.* At quemadmodum illa emendatio est audacissima (quis enim credit, aereas adeo facile in eboreas a librario mutari potuisse?)*

ita

a) POMPONIUS lib. sing. *Enchiridiū*, in cap. II. §. 4. π. de Orig. Iur.

b) DIODORVS *Siculus* lib. XII. cap.

26. Καὶ τελεθῆντι της υποκιμένης νομοδίσιας ταῦτην οἱ διδόκα χαλκούς πινακάς καρβάντες οἱ υπάτοι, προσθέσαντας τοῖς προ τον βουλευτηρίου τοτε κιμένοις εμβολοῖς.

c) DIONYSIUS *Halic.* lib. X. cap. 66.

Επικυρωθαντος δε καὶ του δημοι τους νομους, τηλαις χαλκις αγχορεξάντες αυτους, ἀφεντις εἴσοντας εν στοργῃ, τον επιφανεσαντον εκλεξαμενοι τοτον.

d) LIVIVS lib. III. cap. 57. *Prius quam urbem egredarentur, (scilicet consules, Horatius et Valerius, in prouincias profecturi) leges decemvirales, qui-*

*bus tabulis duodecim est nomen, in aēs incisis in publico proposuerunt.*

e) CYPRIANVS ad Donatum lib. II. ep. 2. *Incise sint licet leges duodecim tabularum, et publico aere praefixo iura prescripta, inter leges ipsas delinquitur.*

f) DIONYSIUS *Halic.* lib. III. cap. 50.

g) *Adr. TVRNEBV* Adverſar. lib.

XXX. cap. 35. h) *Chpb. Ad. RUPERTV* I. c. lib. I. cap. 5.

i) *Dionys. GOTHOFREDVS in Not. ad cap. II. §. 4. π. de Orig. Iur.*

k) *Iac. GOTHOFREDVS in Hisf. leg. XII. tah. cap. VI.*

l) *Iof. SCALIGER in Animaduers. in Melch. GVILANDINI Papyrum.*

B





ita haec veritati repugnat, cum numquam roboreas fuerint XII. legum tabulae, vt mox apparebit. Neutra certe codicum auctoritate iuuatur. Cum ergo quaeritur, quales statim ab initio haec tabulae fuerint, difficilis videtur esse responsio, cum POMPONIVS eboreas faciat, alii vero eo vetustiores ac fide dignissimi scriptores aeneas afferant, quidam etiam (cum quibus tamen facilis erit transactio) roboreas velint. An forte, quam viam vir doctrina ac dignitate illistris, RITTERVS<sup>m</sup>), RITTERSHVSIVS<sup>n</sup>), van der MVELEN<sup>o</sup>), alii, ingressi sunt, POMPONII fidem vacillare arbitremur? aut pugnain inter hos auctores esse statuimus? Sed vtraque vox indigna ICto. Quo igitur remedio vtendum, vt diuersae hae sententiae concilientur? Nos quidem, antea in medium allatis iis, quae viris doctis super hac re placuerunt, sanum POMPONIVM noua, si fieri poterit, ratione praefstabimus.

## CAP. III.

*Duodecim tabulas numquam roboreas fuisse, demonstratur.*

Primum, quod sententiam dicat, prodeat illorum interpretum genus, qui leges decemvirales aut omnes ab initio ligno inscriptas, aut saltem X. tabulas priores roboreas sibi repreaesentant. Quorum quidem sunt bene multi, vt, vterque GOTHOFREDVS, SCALIGER, BRODAEV<sup>a</sup>), CVIACIVS<sup>b</sup>, SCHVBARTVS<sup>c</sup>), BYNKERSHOECKIVS<sup>d</sup>), OTTO<sup>e</sup>), HEINECCIVS<sup>f</sup>), illustris RITTERVS, alii. Mouent hos omnes

verba

<sup>m</sup>) Io. Dan. RITTERVS in *Not. ad HEINECII Hist. Iur. P. I. §. XXVI.*

<sup>b</sup>) Iac. CVIACIVS in *Not. ad Pomp. h. l.*

<sup>n</sup>) Canr. RITTERSHVSIVS in *Decadelto*, cap. I. pag. 5.

<sup>c</sup>) Ge. SCHVBARTVS de *satis iuris prad. Rom. Exerc. II. §. 35.*

<sup>o</sup>) Will. van der MVELEN in *Exercit. in tit. Dig. de iustitia et iure et bisfloriam Pomponii de Origine Iuris*, pag. 365. Traj. ad Rhen. C1510CCXXIII. 4.

<sup>d</sup>) BYNKERSHOECKIVS in *Praeterm. ad Pomp. h. l.*

<sup>a</sup>) BRODAEV<sup>s</sup> *Miscellan.* lib. IV. cap. 12.

<sup>e</sup>) Euer. OTTO in *Diss. de legibus XII. tab. cap. I.*

<sup>f</sup>) Io. Gottl. HEINECCIVS in *Synagm. Antiquit. Prooem. §. IV. n. b. et in Hist. Iur. P. I. §. XXVI.*



verba DIONYSII, cum ait <sup>g)</sup>: Χαλκει ταρ σηλαι ουπω τοτε  
 ησαν, αλλ' εν δρυναις εχαραττοντο σανισιν οι τε νομοι καλαι περι των  
 ιερων διαγραφη. H. e. Nondum enim erant columnae aeneae, sed  
 in roboreis tabulis incidebantur tam leges, quam sacrorum ritus.  
 Quasi DIONYSIO de legibus XII. tabularum sermo sit! cum tamen  
 vel leuiter hunc locum perlustranti statim in oculos incurrat, dici  
 haec de illis temporibus, quibus Roma parebat regibus, et in pri-  
 mis ad leges ab Anco Martio propositas, quas DIONYSIVS re-  
 censet, pertinere, quale quid iam BYNKERSHOECKIO in men-  
 tem venit. Certe nulla ibi legum decemuiralium mentio. Quid?  
 ne ita, ut volunt isti, distorqueatur DIONYSII mens, interce-  
 dit ipse alio loco <sup>h)</sup>, vbi has leges *aeneis* tabulis (*σηλαις χαλ-*  
*καις*) propositas affirmat. Sane, contradixisse sibi DIONY-  
 SIVM, diligentem scriptorem, quis est, qui credat? Nec iu-  
 vant aliquid, quae o r t o afferit, argumenta sat ridicula, quorum  
 primum ex ipsa tabularum voce dicit. Fingit nempe, sub *tabu-*  
*lis* plerumque *lignum* intelligi, adeoque *tabulas* tantum non sem-  
 per esse *ligneas*, et huius rei caussa VLPIANO <sup>i)</sup> testimonium  
 denuntiat. Hinc esse putat, quod bonorum possessionem contra  
 tabulas TRYPHONINVS <sup>k)</sup> contra *lignum* appellauerit. At  
 vereor profecto, ne per te, bone Euerarde! intestabilis fiat VLP-  
 IANVS. Recusat is omnino tibi adclamanti auriculam oppone-  
 re: adest potius testis tuae caussae planie aduersus. Ita enim ait:  
*Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiae figuram. Sive*  
*igitur tabulae sint ligneae, sive cuiuscunque alterius materiae, sive*  
*chartae, sive membranae sint, vel si corio alicuius animalis, tabulae*  
*recole dicentur.* Ergo tabula est quaetis materia in latitudinem  
 scribendi, pingendi, sculpendi caussa formata, sive ea sit lignum,

B 2

sive

g) DIONYSIVS *Halic.* lib. III. Etiam in cap. I. pr. n. de bonor. posses-  
 s. 50. sec. tab.

h) DIONYSIVS *Halic.* lib. X. cap. 66. k) TRYPHONINVS lib. XV. Dispu-  
 tationum, in cap. XIX. n. de bonor. posses-  
 contra tab.

i) VLPIANVS lib. XXXIX. ad Edi-



sive aes, sive ebur, sive charta, sive alia. Id quod nemo ignorat, qui vel leuiter versatus est in veterorum auctorum lectione, et innumeris veterum locis confirmatur, in primis quod ad legum tabulas attinet, quas ut plurimum aeneas tota repraesentat antiquitas. Pertinent  
huc illa PLINII<sup>1)</sup>: *Vjs aeris ad pérpetuacatem monumentorum iam pridem translatus est tabulis aereis, in quibus publicae constitutio-nes inciduntur.* Quod vero apud TRYPHONINVM lignum  
uat' εξοχην pro tabulis ponitur, id de testamenti tabulis accipien-dum est, quae plerunque erant ligneae et cera obductae, vnde et veratae vocantur, quas SALMASIVS<sup>1)</sup> atque HERALDVUS<sup>3)</sup>) data opera descripsierunt. Quare haec significatio ad propriam tabularum, earum in primis, quibus leges inscribebantur, notio-nem constituendam male trahitur. Largimur itaque lubenter, posse tabulam etiam esse ligneam, at tabulam, quae ex alia materia sit confecta, improprie ita vocari, et in dubio sub tabula semper ligneam esse intelligendam, vt ille somniauit, dubitamus vehemen-ter. Sed habet aliud hoc adhuc infirmius argumentum, quo con-tendit, leges decemuires ab initio roboreis tabulis fuisse proposi-tas, quod e Solonis legislatione petitum est, quem leges suas tabu-lis ligneis Athenis promulgasse, PLVTARCHVS<sup>n)</sup> et GELLIUS<sup>o)</sup>) scribunt. Huius vero exemplum decemirois, qui quamplurimas Solonis leges suas fecerint, etiam hac in re, ait, imitatos videri. Sed cur ita tibi videtur, Euerarde? Videtur. Quasi opus fu-isset, vt leges peregrinae receptae eodem modo proponerentur, quo Athenis extabant! Etiam quaedam ex Lycurgi legibus, quae sine scriptura apud Lacones seruabantur, in XII. tabulis locum inuenerunt, quas, si tuo consilio vni essent decemuiriri, ob eandem

causam

1) CL. SALMASIVS in *Diatr. de sub-scribendis et signandis testamentis*. Lugd. Bat. CIOICEILLI. 8.

m) DEDID. HERALDVUS in *Obseruat. ad Ius Attic. et Rom.* lib. VII.

\* ) PLINIVS Hist. Nat. lib. XXXIV. cap. 9.

n) PLVTARCHVS in *Vita Solonis*, vbi eas αξωνας ξυλινους appellat.

o) GELLIUS lib. II. cap. 12. In le-gibus Solonis illis antiquissimis, quae Athe-nis axibus ligneis incisae sunt.



causam ore promulgare et propagare Romae debuissent. Lepide  
hercle! Itaque te mittimus. Ex his igitur, quae diximus, satis in-  
telligitur, quam infirma sit ea opinio et omni destituta ratione,  
qua, ligneas decemviralium legum tabulas forum Romanum um-  
quam vidisse, defenditur. At me non fugit, quid illos potissimum  
in hunc errorem induxerit. Scilicet sibi persuaserunt, usum ebu-  
ris atque artem literas in aes incidendi hac aetate, qua XII. tabulae  
condebatur, Romanos ignorasse. Quod quidem falsissimum esse,  
ex ipsis Romanarum monumentis iam demonstraturi sumus.

## C A P. I V.

*Vsus eburis ac aeris apud Romanos antiquissimus.*

**A**ge igitur, videamus, cur eburis, nobilissimae materiae, usum  
Romanis hoc adhuc tempore denegent nonnulli, et num  
recte, declaremus. Confudit SCALIGER ad pristinam Romanorum  
frugalitatem et paupertatem, a qua eburis usum valde alienum  
fuisse putat. Non enim tam beatos atque tam delicatos illos tum  
fuisse censem, ut in eburneis tabulis leges proponerent. Addit  
illustri RITTERVS, hanc sententiam vel ignorantia Romanorum  
confirmari, qui elephanti nomen tum nescierint, quod probat  
exemplo militis, qui in bello cum Pyrrho rege gesto primum  
elephantum in Lucania usum bouem *Lucam* appellauit. At totum  
hoc argumentum DIONYSII auctoritate euertitur, qui inter in-  
signia regia a Tarquinio Prisco inuenta praeter coronam auream,  
togam pictam, tunicam palmatam, (quae omnia demonstrant,  
Romanos tum non adeo pauperes fuisse) etiam *sceptrum*  
*eburneum*, et *sellam eburneam* commemorat. Καὶ συηπτρον,  
ait<sup>a)</sup>, ελεφαντινον εχων επι θρονον εναθεζέτο ελεφαντινον.  
Neque, si quid video, ita licet argumentari: Romanis insolitus  
erat elephanti aspectus: itaque ebur non habebant. Ego sane  
numquam vidi elephantum, at utrum quandoque instrumentis ebur-  
neis.

B 3

a) DIONYSIUS Halic. lib. III. c. 84.



neis. Vrget porro **S CALIGER** naturam eburis, quod ineptissima sit scribendo materia, cum et flauescat vetustate, et apices literarum abolescant ac fiant caduci, et in primis atramentum fugiat. Largimur quidem, scripturam in ebure et publico praesertim loco, vbi tempestatis vis damnum inferre possit, propositam haud ferre acetatem: sed nec legum tabulae perpetuitatis caussa tum perscriptae erant, cum mox aliae aeneae proponerentur. De fuga vero literarum in ebure nihil addo. Nam multa iam dixerunt **S ALMASIVS**<sup>b</sup>), **R VPERTVS**, et, qui vtrumque more sibi proprio expilauit, **O T T O**, qui omnes demonstrarunt, aliis generis calamus, ac sunt nostri, atramento quoque a nostro diuerso veteres vsos esse, de quorum scribendi modo elegans extat **H VGNIS** opus. Forte et artem calluerunt ita poliendi ebur, vt literas sine villo negotio reciperet. Occurrunt certe apud **V LPIANVM**<sup>c</sup>) codices eborei, quos ille iterum in roboreos mutat, licet admundum inepte, vt ex serie orationis intelligitur. Nam cum **I CTUS**, quid sub librorum legato relictorum appellatione contineatur, ostendere vellet, quaerit ita: *Quod si in codicibus sunt membraneis, vel chartaceis, vel etiam EBOREIS, vel alterius materiae, vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus?* De quernis autem veterum libris quis vniquam aliquid audiuit? Ita vero probauimus, sententiam **P OMPO NI** nec rei naturae repugnare, nec a priscis Romanorum moribus alienam esse. Iam, vt **DIONYSIVS** defendatur, necesse est. Adeat namque iterum, qui et **DIONYSII** fidem labefactet, si fieri possit, **S CALIGER**, leges decemuirales ab initio in aes incisas fuisse, propterea addubitanis, quod (ita enim ille sibi persuadet memoria nimis fidens, iure hanc ob cauillam **A R V PERT O** reprehensus) praeter hunc nemo veterum scriptorum id memoriae prodiderit, ac insuper aeris vsus hisce Romanorum temporibus haud conueniat. At, o bone! vellem **LIVI**<sup>d</sup>) et **DIO-**

**DORI**

<sup>b)</sup> **SALMASIVS** ad **Vopisci Tacitum** num, in cap. LIII. pr. π. de legat. et fi-  
cap. VIII.

<sup>c)</sup> **V LPIANVS** lib. XXIV. ad **Sabi-** <sup>d)</sup> **LIVI** lib. III. cap. 57.



DORI<sup>e</sup>) testimonia reuocasses in animum, quae cum DIONYSII narratione conspirant amicissime. Vterque enim, aeneas fuisse tabulas, quibus hae leges inscriberentur, declarauit. Nec obtinebis altero argumento, quo, ignaros tum fuisse Romanos artis literas in aes incidendi, contendis. Nam regum iam aetate id fieri consueuisse, docet historia foederis a Seruio Tullio cum Latinis initi, cuius leges, ne temporum iniuria perirent, in tabula aenea perscriptas esse, DIONYSIVS quoque auctor est<sup>f</sup>): Ινα δε μηδεις χρονος αυτους ναυρους αφανιζη, σηληνη πατασιναζας χαλινη, εγραψεν εν ταυτη τα δοξατα τοις συνεδριοις. Cui non obstat, quod idem antea dixerat,<sup>g</sup>) nondum fuisse Romanis aeneas tabulas. Hoc enim ad Anici imperium pertinere, (non ad Seruii aetatem, sub quo paullulum creuerat rei Romanae splendor) supra iam monuimus. Haec autem omnia, quae disputauimus, satis demonstrant, priscos Romanorum mores minime refragari, quin XII. tabulas eburneas, aut aeneas fuisse credamus, adeoque hinc valde infirmum duci argumentum pro eorum causâ, qui querens sibi fingunt, quorum quidem opinio, cum non solum nulla nitaritur auctoritate, sed ipsis veterum testimoniorum infirmitetur, nos non amplius debet morari.

## CAP. V.

*Variae virorum doctorum de concilianda Scriptorum pugna sententiae examinantur. Pomponium de sua aetate non intelligendum esse probatur.*

Vocat non potius ad se (et nos accedimus lubenter) alia viorum doctorum opera, qua diuersas has veterum sententias student conciliare: an vero ita tollatur dissensus, iam videamus. Iacobus quidem GOTHOFREDVS et SCHVBARTVS hanc inierunt viam, ut putarent, aliam fuisse materiam X. tabularum ab ipsis

e) DIODORVS Siculus lib. XII. cap. 26.

f) DIONYSIVS lib. IV.  
g) Idem lib. III. cap. 50.



ipsis Decemuiris propositarum, aliam XII. tabularum his electis publici juris factarum : in quo recte sentiunt. Illas *roboreas*, has *aeneas* fuisse aiunt. At nec verum hoc est, nec efficitur id, quod volunt. Nam de *roboreis* iam transegimus. Ergo pugna non est sublata, cum **POMPONIUS** maneat indefensus. Aliam medelam huic dissensiōni attulit **CVIACIVS**, cuius sententia arrisit bene multis, in his <sup>a)</sup> **EBERLINO**<sup>a)</sup> atque **BRVNQVELLO**<sup>b)</sup>, qui quasi ex tripode dictam arripuerunt. Vult autem diuersa distinguī tempora et quemuis scriptorum de sua intelligi aetate. Putat igitur, has tabulas, cum primum proponerentur, fuisse *roboreas*, deinde incendio Gallico amissas in *aere* forte restitutas, et tales vidisse adhuc **LIVIVM** cum **DIONYSIO** ac **DIODORO**, tandem sub principibus *eburneas* factas esse, quae **POMPONII** aetate extiterint. Subscriberem tuae sententiae lubenter, et diuinum tuum ingenium, summe **CVIACI!** mirarer, modo **CYPRIANVS** non intercederet, qui vetat credere, **POMPONIVM** de sua aetate dixisse. Est enim ipse testis, non *eburneis*, sed *aeneis* tabulis tum temporis (erat autem **CYPRIANVS** aequalis **POMPONIO**: uterque namque vixit seculo a Christo nato altero) leges decemuirales Romae propositas fuisse. *Incisae* sunt, ait,<sup>c)</sup> licet leges duodecim tabularum et publico aere praefixo iura *praescripta*, inter leges ipsas delinquitur. Ita vero tota corruit conjectura, ingeniosa licet alioquin, et ad rem satis accommodata. Eandem quoque amplexus est **BYNKERSHOECKIVS**, et si paullulum immutatam, inuerso ordine, cum primum *roboreas*, deinde *eburneas*, postremum *aeneas* has tabulas fuisse existimet. Recte fortassis quodammodo sensit, modo mente suam clarius exposuisset.

## CAP.

a) *Ge. EBERLINVS de Origine Iuris*, cap. V. §. 7. 8.

c) *CYPRIANVS ad Donatum*, lib. II. cap. 2.

b) *Ia. Sal. BRVNQVELLVIS in Hist. Iur.* P. I. cap. III. §. 7.



## C A P . V I .

*Nostra sententia declaratur.*

**N**unc, quid nobis super hac re videatur, indicabimus. *Robores* numquam fuisse XII. tabulas, supra fuit probatum. Supereft, ut officio nostro semel fufcepto fatisfacturi caueamus, ne aut *POMPONII* fidei aliquid detrahatur, aut ceteris scriptoribus vis fiat. Monstrat autem viam, qua vtrique ad concordiam reducendi funt, ipse *LIVIVS*, quem sequemur. Is namque narrat, primum decem tantum tabulas a Decemuiris propositas esse, vulgariter in illo rumore, duas deesse, quibus adiectis, absolui possit velut corpus omnis Romani iuris <sup>a)</sup>): has altero anno quoque additas esse, sed nondum perlatas in comitiis centuriatis <sup>b)</sup>): tandem vero totum hoc duodecim tabularum corpus, cieclis Decemuiris, *in aes incisum* a consulibus Horatio atque Valerio publice propositum fuisse, perhibet. <sup>c)</sup> Vnde intelligitur, non statim ab initio, sed denum a consulibus leges decemuirales *aeneis* tabulis esse promulgatas. Scilicet cum decem tabulae proponerentur, nondum perfecto legum corpore, hae ipsae mutationi erant subiectae et non nisi ad tempus publice perscriptae. Hinc iis sufficiebat materia aeuum non latura, qualis *ebur* est. At postea cum, absoluto toto opere, duodecim tabulae perpetuum duraturae a consulibus publici iuris redderentur, sumtum est iis scribendis *aes*, quod perennitati consuleret. Atque ex hac diuersa leges decemuirales promulgandi ratione tota haec controuersia explicari posse videtur. Vtraque sententia recte se habet. *Eboareae* nempe fuerunt decem priores tabulae ab ipsis Decemuiris propositae, de quibus solis *POMPONIUM* loqui, verba eius aperte indicant: *Placuit*

a) *LIVIVS* lib. III. cap. 34.

b) Idem lib. III. cap. 37.

c) *LIVIVS* lib. III. cap. 57.



cuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Graecis ciuitatibus, et ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulas eboreas prescriptas pro rostris compofuerunt: vbi expressa mentio fit promulgationis decemviralis. Sed, postquam his decem tabulis duea deficientes essent adiectae, duodecim aeneas publicarunt consules, quas L I V I V S et reliqui scriptores in mente habuerunt. Nulla igitur amplius pugna. Certe decem primas tabulas ex ebure confectas fuisse, confirmatur etiam testimonio veteris Theophili INTERPRETIS, qui, vnde duodecim tabulae δυοδεκαδελτος dicantur, expositus, sic ait d.:) Ησαν γαρ εν δεκα δελτοις ελεθαυτωις γραφεντες, ετερους προσεθημασι δυο. και εν του συμβοτος ειληθη δυοδεκαδελτος. Nolle tam magnum praesidium in hoc loco querere, cum inter omnes constet, in rebus, que ad historiam pertinent, Graecis ICtis non multum esse tribuendum.

## C A P . VII.

### *Peroratio.*

**S**inum igitur et a mendo liberum restituimus POMPONIVM, quam operam nostram, non dubito, fore multos, qui in avem iudicent atque inutilem, quasi in re minima et ad illustrandam iurisprudentiam parum conducente collocatam. Sed hirerunt fere, qui praeter ea, quae ad panem lucrandum faciunt, nihil boni, inesse in literis, sibi persuadent, et quorum scientia grandia actorum, responsorum, decisionum (si diis placet!) aurearum, et consiliorum volumina haud excedit, ac in primis diuino Volcmanni opere, quo uno si carere eos oporteret, omnibus fame pereundum esset, egregie iuuatur. Fidem vero veterum ICtorum, quorum praeclaris ruinis superstructa est nostra iuris-

pru-

d) SCHOLIASTES Theophili in Paraphr. Inst. tit. de tut. agnat. legit.



prudentia, anquirere turpe putant, et iuris origines gloriose ignorant. At hanc plebeculam non curamus, si modo rerum intelligentibus non plane improbetur nostrum consilium, quod non tam ab argumento, quod tractauimus, satis leui ac tenui, quam potius a fine, ob quem scribere instituimus, aliquam habet commendationem. Fuit enim nobis animus, exemplo declarare, quam inepte POMPONII fides vulgo vocetur in dubium, et iniuriam veteri iuris antistiti hac in causa illatam vindicare. An recte hoc a nobis factum sit, aliorum iudicio relinquimus.



8530

**ULB Halle**  
007 469 896



3

VD18





Hier. I. num. 16.

1765, 32.

B.I.G.



# AE POMPONII

## A XII. TABVLARVM

I N

IV. π. de Orig. Jur.

Q V A S  
ICTORVM ORDINIS  
CTORITATE  
AESIDE  
RIDERICO SCHOTT

IVR. VTR. DOCTORE

BRIS A. O. R. CICICCLXV.

H. L. Q. C.  
EFENDET

AVGOTT KEMTERVS  
CENSIS. MISNICVS.

P S I A E  
INA LANGENHEMIA.

